

pactorum. Et quod dominus dux et commune Veneciarum restituantur et restituti intelligantur ad omnia jura immunitates et facultates, que ex forma dictorum pactorum eis competeabant ante presentem guerram; que pacta inter dictas partes super predictis inviolabiliter observentur. Item fuit actum et solepniter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod dominus dux et consilia nomine et vice ipsius et dicti communis Veneciarum infra unum mensem a die publicationis presentis pacis faciant compromissum super questionibus, controversiis et discordiis, que sunt et esse possunt inter dominum Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem ex una parte, et ipsum dominum ducem et commune Veneciarum ex altera, super jurisdictione et juribus totius provincie Istrie in sanctissimum dominum nostrum Papam, ita quod dictus sanctissimus dominus noster Papa cognoscat simul et semel diffiniat tam de proprietate quam de possessione dicta jurisdictionis et aliorum dictorum jurium per arbitrationem, per arbitrium, per rationem, laudationem, ordinationem, et amicabilem compositionem alte et basse, sicut ei videbitur, sub pena mille marcharum auri, medietas cujus pene cedat Romane Ecclesie et alia medietas cedat parti observanti predicta, prout et sicut continetur alias fuisse compromissum inter dictas partes in dominum papam Nicolaum quartum, secundum quod apparet in quodam publico instrumento scripto manu Donati Lombardi imperiali auctoritate notarii publici et ducatus Veneciarum scribe, et Gualterii civitatis apostolica et imperiali auctoritate notarii, et Henrici imperiali auctoritate notarii, anno domini millesimo ducentesimo LXXX. primo, indictione quarta, die XI intrante novembri. Et si post predictum instrumentum compromissi reperiretur aliud instrumentum compromissi facti per dictas partes de predictis in dictum dominum Papam vel alium Papam ultimo confectum, stetur ultimo compromisso, quantum ad formam baylie date. Et sic per presens capitulum illa baylia intelligatur esse data dicto sanctissimo domino nostro Pape presenti et successoribus suis, que in ipso ultimo compromisso reperiretur, si